

De Candia ſiue creta inſula

DE modona trecente interiacent leuce ytalice vſqꝫ ad inſu-
lam cretam ſiue Candiã que et ipſa tota ſub ditione eſt vene
torum·nam ducem illo mittũt vnum ex ſuis· et exacto tem-
pore ſuo mutãt vt moris eſt eoꝝ etiã in alijs p̃fecturis· Eſt
autem Candia ſiue creta grecie inſula a quodam rege indigena dicto·
creta nominata inter ortũ et occaſum longiſſimo tractu· porrecta a ſep
tentrione eſtibus·ab auſtro egiptijs vndis ꝓfuſa·Fuit quondã centum
vrbibus nobilibus decorata·vnde et centapolis dicta eſt· Prima aũtẽ
fuit inſula que remis et armis clarui ac ſagittis · Prima literis iura
dedit·equeſtres turmas primo docuit·ſtũdiũ muſicũ in ea primo reptũ
fuit et mũdo traditũ atqꝫ exercicio inibi ãpliatũ·Pecudes et capras ha
bet copioſas·ceruos autẽ et capreas valde paucas·lupos et vulpes alia
rũqꝫ ferarũ noxia genera nũq̃ gignit·ſerpẽs ibi nullus·nulla beſtia no
ciua ibi et ſi aliũde trãſlata inueniat᷑ ſtatim morit᷑ Terra ẽ vitibꝰ ami
ca arboribus cõſita herbis medicinalibus referta vt diptamo et alno et
huiuſmodi·Gemmas etiã generat p̃cioſas· gignit enim lapidẽ qui io-
cedactilus dicitur vt dicit yſidorus li·xv·Et cũ ſit inſula a maioribus
venenis notabiliter libera·tamen ſpalangias id eſt quaſdam araneas
generat venenoſas·hucuſqꝫ yſi·libro·xv· Idem per omnia narrat Pli-
nius libro·iiij·De eadẽ vero inſula dicit Oroſius Creta ab oriente fini-
tur mari carpaſio ab occaſu et ſeptentrione mari cretico a meridie ma-
ri libico qđ adriaticũ vocant·Et habet in longũ paſſuũ milia centũ et
lxxxviij· In lato vero milia·l· Diſtat autẽ Candia inſula a Rodo
leucis trecentis de qua inſula mox dicetur·

Conuētꝰ minorꝫ
CANDIA

23

24